

E⁵ Farnesianus saec. c. VIII., initio mutilus incipiens a Liberio (n. 60), hodie deperditus, quatenus per Holstenium et Blanchinium de eo constat.

Codicis Farnesiani in hoc nostro laterculo vix ullus usus est, cum de spatiis quaestiones totae fere continentur in parte libri ea, quae a codice illo afuit. Ita quod ad spatia ea attinet, unus huiusce generis remanet codex ille Vaticanus 3764 contaminatus totus, sicut Duchesnius egregie ostendit, et meo quidem iudicio ita formatus, ut librarius duo exemplaria adhibuerit, alterum ex familia B simile nostri B⁴, alterum editionis prioris. Id confido stabilitum iri iis quae infra exponentur. Praeterea librarius passim coniecturas in textum intulit et omnino codex adhibendus est cum summa cautela.

IV. Editionis posterioris adhibui codices hos:

- A Lucensis 490 saec. IX. usus sum ad vitas 1—56 apographo egregio facto aut ab ipso Waitzio ant eo moderante.
- B¹ Neapolitanus IV. A. 8 saec. VII. Duchesnius quae de hoc codice affert, quem ipse ait hodie vix legi posse venenis chymicis pessumdatum, utilitatem non habent, sunt enim non solum non plena, sed passim falsa. Ego adhibui recognitionem antequam codex corrumpetur diligentissime institutam a Pertzio.
- B⁴ Leidensis Vossianus Q. 41 saec. IX. ipse contuli. Simillimus est Neapolitano, modo inferior eo, modo nec raro melior.
- B³ Coloniensis 164 } descripti ex eodem archetypo;
saec. IX. ipse } Coloniensis librarius id fideliter
contuli } expressit, sed saepe negligentia
- B² Parisinus 13729 } peccavit; Parisinus diligentia
saec. IX. ipse } praestat, sed in minoribus pas-
contuli } sim tradita emendat.

Posterioris editionis utra familia praestet, utrum Lucensis A in suo genere fere unicus an altera, ad quam pertinent codices B¹. B². B³. B⁴, item, quatenus non sequitur editionem priorem, E¹, litigaverunt viri eruditi quodammodo sine causa idonea. Scilicet evidenter apparet tam exemplum A quam id a quo libri B profisciscuntur descripta esse ex codice eodem ita, ut modo hic librarius modo ille ab archetypo desciverit errando omittendo